



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 125. Et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat. v. 61.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

*dicit.* Itane? quomodo ergo ei respondes, si quid dicas, nescis. Si tu vetè nesciebas quid diceret iste exprobrator, certe ex vicino interrogasses: *Quid dicit iste? quid vult?* Hoc non facis, ergo bene scivisti quid diceret ille, sed tu nolebas hoc ab eo dici, quod dicebat, ideo dicis te nescire quid dicat.

**E**cce ita parum solerter homo mentitur, ut ex se ipso prodatur; prodi vero à se in ipso, & suam autoritatem perimi, an non quædam sui officio est?

§. 123. *Et continuo adhuc eo loquente cantavit gallus. v. 60.*

Continuante Petro adhuc verbum mendacii cantavit gallus: quo cantu commotus Petrus, ut finem faceret verborum mendacii, & blasphemiarum, reminiscens quod paulo ante Dominus vaticinans illic eventurum prædixerat, cœpit se agnoscere. Ego in illo galli cantu agnosco conscientiam, quæ semper post commissum facinus occidit, & inclamat dormientibus, quid fecisti! hoc facere non debuisti; pessimam rem fecisti, Deum offendisti, infernum meruisti.

**O** Deus gratias merito agimus tibi, quod talem galli cantum omnibus hominibus procurasti, ne in somno peccati æterno obdormiscamus, sed excitati ad lucem suam respiremus, & surgendo redeamus.

§. 124. *Et conversus Dominus respexit Petrum. v. 61.*

Parum erat gallum cantare Petro, conscientiam inclamare & damnare; nec respiraret Petrus, nisi eum Dominus respiceret; iste aspectus potentius excitat sepultum, quam gallorum omnium cantus vel clamor.

**B**ona habet: agnosco & adoro potentiam tuæ gratiæ, Iesu in convertendo quolibet peccatore, respice nos semper, bone Iesu.

§. 125. *Et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat. v. 61.*

**O** felicem vultus huius aspectum! quam misericordis fuit hic, & ad se trahere volentis errantem! illustrando mentem, ac movendo affectum. Iratus erat Dominus arroganti Petro, amisit gratiæ lucem ad tempus, occidit ei sol ad vespèram, nunc mane humiliatus convertitur, incipit ei sol reoriri, apparere gratia.

**A**stronimi nugaces frustra nobis varios astrorum quorundam aspectus in calendariis depingunt.  $\Delta \square * \sigma \circ$  isti sunt vani & nullius virtutis aspectus. Hic aspectus Christi est quærendus cunctis diebus, ille est felix, ille est operum nostrorum rector melior, quam omnes aspectus planetarum.